



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thomæ A Kempis Canonici Regvlaris Ord. S. Avgvstini De Imitatione Christi Libri Qvatvor

Thomas <von Kempen>

Antverpiæ, 1617

Cap. IX. De obedientia, & subiectione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45760](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45760)

Cum diuitibus noli blandire, & corā magnatis non libenter appareas. Cum humilibus & simplicibus, cum deuotis & morigeratis sociare: & quæ ædificationis sunt, pertracta. Non sis familiaris alicui mulieri: sed in communi, omnes bonas mulieres Deo commenda. Soli Deo & Angelis eius, opera familiaris esse, & hominum notitiam deuota.

2 Charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit. Quandoque accidit, vt persona ignota, ex bona fama luceat: cuius tamen præsentia oculos intuentium offuscat. Putamus aliquando aliis placere, ex coniunctione nostra: & incipimus magis displicere, ex morum improbitate, in nobis considerata.

CAP. IX.

De obedientia & subiectione.

I **V**ALDE magnum est, in obedientia stare, sub prælato uiuere, & sui iuris non esse. Multo tutius est, stare in subiectione, quàm in prælatura. Multi sunt sub obedientia,

tia, magis ex necessitate, quàm ex charitate: & illi pœnam habent, & leuiter murmurant. Nec libertatem mentis acquirunt; nisi ex toto corde, propter Deum se subiiciant. Curre hîc vel ibi: non inuenies quietem, nisi in humili subiectione, sub prælati regimine. Imaginatio locorum & mutatio, multos fefellit.

2 Verum est, quòd vnusquisque libenter agit pro sensu suo; & inclinatur ad eos magis, qui secum sentiunt. Sed si Deus est inter nos, necesse est, vt relinquamus etiam quandoque nostrum sentire, propter bonum pacis. Quis est ita sapiens, qui omnia plenè scire potest? Ergo, noli nimis in sensu tuo confidere: sed velis etiam libenter, aliorum sensum audire. Si bonum est tuum sentire, & hoc ipsum propter Deum dimittis, & alium sequeris, magis ex inde proficies.

3 Audiui enim sæpè, securius esse audire & accipere consilium, quàm dare. potest etiam contingere, vt bonum sit vniuscuiusque sentire: sed nolle aliis acquiescere, quum id ratio,
aut

16 DE IMITATIONE
aut causa postulat, signum est super-
biae & pertinaciae.

C A P. X.

De cauenda superfluitate verborum.

Mat. 4. I **C**AVEAS tumultum hominum,
et 14. quantum potes: multum enim
Ioan. 6. impedit tractatus saecularium gesto-
rum, etiam si simplici intentione pro-
ferantur. Citò enim inquinamur va-
nitate, & captiuamur. Vellem me plu-
ries tacuisse, & inter homines non
fuisse. Sed quare tam libenter loqui-
mur, & inuicem fabulamur: cum ta-
men rarò, sine læsione conscientiae,
ad silentium redimus? Ideò tam li-
benter loquimur: quia per mutuas lo-
cutiones, ab inuicem consolari quæri-
Mat. 7. mus: & cor diuersis cogitationibus fa-
Rom. 2. rigatū, optamus reuelare. Et multum
libenter de his, quæ multum diligi-
mus, vel cupimus, vel quæ nobis con-
traria sentimus, libet loqui & cogitare.
2 Sed proh dolor, sæpè inaniter &
frustrà. Nam hæc exterior consola-
tio, interioris & diuinæ cōsolationis,
non modicum detrimentum est. Ideò
vigi-